DE MUNICIPALIBUS IURIBUS ET STATUTIS REGNORUM DALMATIÆ, CROATIAE ET SLAVONIAE


ZAGRABIAE

Typis Franc. Suppan C. R. Priv. Typographi

MDCCCXXX.

Justitia ea Virtus, quae est Una, si modo sit, maxime munifica et liberalis, et quae Omnes Magis quam se ipsa diligit, aliis nata potius, quam sibi. — Justitia autem praecipit parcere omnibus, consulere Generi hominum, suum cuique reddere, sacra, publica, Aliena non tangere.

Cicero in Opere de Republica per Angelum Maium edito Libro III, Cap. 8. et 12.



Slavicos Populos utriusque Pannoniæ Aborigines, et Autochtonas, haud sæculô primum sextô, sicut nonnulli Scriptores autumabant, in Romanas Provincias commigrasse, sed jam multo ante Dalmatiam, Daciam, Pannoniasque tenuisse, et pro harum Libertate cum Romanis dimicasse, doctissimi Viri Adamus Franciscus Kollár in Historiæ, Jurisque Publici Regni Hungariæ Amœnitatibus Sectione

II. Pater Petrus Kattanchich in Philologica Indagatione sua in veterem Croatorum Patriam, ac ante hos Joannes Christ. Jordan in erudito Opere suo de Originibus Slavicis, Augustus Ludovicus Schlöczer in Septemtrionali, et Universali Historia sua gravibus rationum momentis, hactenus non refutatis, evicerunt; sed his non immorando:

§. 1.

Primordia Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ ab illa temporis Epocha repetere suffecerit, in qua Croatæ secundum Testimonium Constantini Porphyrogeniti in Libro de administrando Imperio Cap. XXX. & XXXI. editum Heracliô Imperante, quem ab anno 610. usque 641. ad Clavum Orientalis Imperii sedisse ex

Petavii Ratio. Temp. Parte II. pag. 536. constat, devictis Avaris Dalmatiam, Pannoniam Interamnensem, fluminibus Dravô, et Savô definitam, et serius Serviam occuparunt, et nutantibus jam Imperii Orientalis fundamentis, tam Imperatorum Orientis, quam Francorum Jugo excussô, Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ, ac Serviæ fundarunt.

§. 2.

Refert Augustus Scriptor, Croatas, et Serblos, postquam in Provinciis his sedes fixissent, communi Libertate vixisse: sunt enim verba ejusdem Cap. XXIX. *Principes hae Gentes non habent, tantum Zupanos senes, quo modo etiam reliqui Sclavorum Populi.* Croatiam dein in XI. Supanias divisam, totius autem Croa-

tiæ nomine Dalmatiam quoque occidentalem tam Maritimam, quam Mediterraneam, et Saviam, quae nunc Slavonia nuncupatur, comprehensam fuisse, ac ita Ducibus primum, dein Regibus propriis paruisse, ex fidedignis Syncronorum Scriptorum tam domesticorum, quam extraneorum relationibus, et Diplomatibus Croatiæ Regum per Farlatum et Lucium productis indubium est.

§. 3.

Intermedió, quô hæc apud Croatas agebantur, tempore Pannonia interior per Hungaros, præhabitas inter Tanaim, et Lacum Mœotidem Sedes Paczinacitis cedere coactos, annô 889. devictis Slavis occupata, nomen mutavit, et Hungariæ Regnum a S. Stephano, Nationis suæ ad Re-

ligionem Christianam conversæ Apostolo fundatum fuit.

§. 4.

Regiâ Croatarum stirpe in Zvonimiro Regum ultimo exstinctâ, et post hujus obitum Regno Croatiæ in partes scissô, ac omnibus malis, quæ statum anarchicum, vacante Thronô Regiô, comitari sveverunt, per factiones Procerum commune Bonum ambitioni suæ sacrificantium, involutô: neque ullo amplius discordantis Patriae remediô, quam ut Summa rerum a potentiore Vicino regatur, S. Ladislaus Hungarorum Rex Croatiam cum Exercitu ingressus Anno MXCI. partem a Dravo fluvio usque Alpes ferreas dictas protensam occupavit; Maritimas autem Partes, Gente quâdam aliâ Hungariæ Limi-

tes invadente, cum Exercitu regredi coactus, sibi non subjecit.

§. 5.

Successit S. Ladislao Colomannus, de quo scribit Thomas Archi-Diaconus Spalatensis in Historia Ecclesiæ Salonitanæ apud Joannem Georgium Schwandtner Tomo III. pag. 634. 635. *quod Colomannus proposuerit totam Croatiam usque ad Mare Dalmaticum subjugare, venerit cum Exercitu usque fluvium Drava, Croatae audientes de adventu Regis congregaverint exercitum suum, et praeparaverint se ad pugnandum: Rex auditâ congregatione eorum miserit Nuncios suos volens Pacta cum eisdem inire: Croatae auditâ Legatione Regis, duodecim Nobiles de totidem Croatiae Tribubus ad Regem miserint, et*

ad talem concordiam anno 1102. devenerint, ut omnes teneant suum pacifice, et quiete, nulla praedictarum Generationum, nec eorum Homines Regiae Majestati censum solvere teneantur. — Sed quôpiam Confinia Regalia invadente, erga provocationem Regis de qualibet Generatione adminus cum decem armigeris Equitum suis sumptibus, et expensis usque ad fluvium Drava, inde vero ad expensas versus Hungariam, usque quo Exercitus perduraverit, debeant permanere.

§. 6.

Conditiones has, sub quibus Croatia, et Dalmatia ad Sacram Regni Hungariæ Coronam anno 1102. accessit, referens Thomas Archi-Diaconus Spalatensis fidem, si non majorem, certo tantam meretur,

quantam Anonymus Belæ Regis Notarius, dum in Historia Ducum per meritissimum Schwandtnerum inter Scriptores Rerum Hungaricarum edita Capite V. et VI. Conditiones recenset, quibus Almus Ugeki filius, ante susceptam per Magyaros ex Asia in Europam profectionem, a sex Hungarorum Ducibus in Principem Ducem electus est.

§. 7.

Thomam Archi-Diaconum Spalatensem Anno 1200. natum, et 1268. e vivis excessisse Lucius apud Schwandtnerum Tomo III. pag. 533. adæquate evicit.

Anonymum suam Ducum Historiam sub uno e quatuor Belis Hungariæ Regibus concinnasse, certum;

sed horum Epochâ ab anno 1060. usque 1240. decurrente — ad cujus Regis Belæ ætatem Anonymus referri debeat — quod illi Cognomen fuerit — ambiguum est. Proximius ad verum accedere videtur eruditissimi Bellii Sententia in præfatione ad Anonymum per prælaudatum Schwandtner edita Anonymum ad tempora Belæ 4-ti collocantis.

§. 8.

Quidquid demum de ætate Anonymi Belæ Regis Notarii sentire libeat — illa præmissorum sequela ad plenam lucem posita est, quod hæc Pacta Conventa per Thomam Archi-Diaconum Spalatensem memoriæ tradita, indubie in formam diplomaticam redacta, sed quæ in tali, sicut plura alia antiquitatis monumenta

Posteris fata temporum inviderunt, non solum respectu regnantis Principis Pactum subjectionis, sed etiam ratione Nationis Hungaricæ Pactum Confœderationis præseferant, quô se Croatæ et Dalmatæ ad communem defensionem pro casu impendentis periculi, obstrinxerunt.

§. 9.

Croatis vi pactorum horum in quieto, et pacifico eorum, quæ ante Confœderationem hanc habuerunt, possessorio relictis: ambigi quidem non potest, per hæc non Personis solum, et proprietati, sed et Juribus Municipalibus Securitatem, et præsidium assertum haberi.

§. 10.

Constantinus Porphyrogenitus maritimam, et terrestrem Croatorum suo tempore potentiam Capite XXXI. describens ait: *Babtisatae Chrobatiae Urbes habitatae istae sunt: Nona, Belligradum, Bellitzin, Scordona, Chlebena, Stolpum, Tenen, Cori, Chlaboca, exhibetque Equitum LX. Peditum C. Millia, et Sagenas LXXX. Conduras C. quarum illae XL. Viros habent, illae XX.*

Slavorum mores antiquos Procopius Libro 3-tio sic describit: *Antarum, Sclavinorumque Nationes non ab homine aliquo uno reguntur, sed ab antiquo plebeia, communique Libertate vivunt, et idcirco res omnes, quae vel utiles sunt, vel forte difficiles in commune consilium deducuntur, caetera ve-*

ro omnia utrique fere Genti paria sunt, et simillima. — Hæ fuerunt fidedignorum Scriptorum testimoniô Patrum vires; hi mores.

§. 11.

Si verum est, quod superius laudati Eruditi perspicue evicerunt, quod Dalmatæ, Croatæ, Slavi, Savii, Serbli sint Illyrorum, et Cognati eorundem Slavi, qui ultra Dravum habitarunt, Pannonum Posteri, quis credet unquam Gentem armorum gloria inclytam, quæ Colomannô ad Dravum adveniente, in Armis, et ad dimicandum parata fuit — cujus Antenati Dominis Orbis Romanis non inermes, et inulti cesserunt, nec tentatâ prælii aleâ, se per Colomannum Juribus suis exui passuram fuisse.

Positis armis, subjecerunt se Colomanno Croatæ, quia personalia, et realia singulorum, et Universorum Jura Pactis Conventis securisata fuerunt.

§. 12.

Inclinante Romanô Imperiô, Orientalem Dalmatiam Imperatoribus Constantinopolitanis, occidentalem vero partem, quæ a Croatis occupata Croatia dicebatur, Mediterraneam, et Ripariensem, seu Interamnensem Pannoniam, quæ a Slavis Croatis occupata prius Savia, dein Slavonia nuncupata fuit, Teste Eginhardô in vita Caroli Magni Francorum Imperio subjectam fuisse constat.

§. 13.

Excusso utriusque Imperii jugô, Croatæ propriis Ducibus, et Regibus, quorum nomina, et Seriem Joannes Lucius ex Porphyrogenito, Thoma Archi-Diacono Spalatensi, ex Auctoribus, et Privilegiis desumptam Libri II. Capite I. apud Schwandtnerum pag. 93. et 94. exhibuit, paruerunt.

Supaniæ, seu Comitatus XI., in quas Chrobatia Maritima tempore Constantini Porphyrogeniti divisa fuit, per Lucium Libri I. Cap. XIII. apud Schwandtnerum Tomi III. pag. 77. et 78. Dalmatiæ specialis, seu propriæ Urbes, et Insulæ Libri I. Capite XIV. pag. 78. 79. 80. apud Schwandtnerum Tomo III. recensentur, Croatiam, et Dalmatiam sub

suis Ducibus et Regibus proprios habuisse Magistratus, primis incunabulis suis coævos, Banos, Supanos, quorum jam Constantinus Porphyrogenitus meminit, et his subordinatos Sednicos; Duces, et Reges Banis, Supanis, et Nobilibus in momentosioribus Negotiis in Consilium vocatis, Rempublicam moderatos fuisse, Leges hoc tempore partim Romanas, partim sub Francorum Imperio introductas, partim consvetudinarias in Dalmatia, et Croatia in usu fuisse, ex Opere Lucii de Regnis Dalmatiæ, et Croatiæ, Historia Salonitana Thomæ Archi-Diaconi Spalatensis, et Presbyteri Diocleatis Regno Slavorum per Schwandtnerum Tomo 3-tio editis constat.

§. 14.

Presbyter Diocleas in Regno Slavorum apud doctissimum Schwandtnerum Tomo 3-tio pag. 483. refert, quod Svetopelek XI. Croatorum Rex post susceptum cum Gente sua Baptisma, unâquâque in Provincia *Banum* ordinaverit, id est: Ducem ex suis Consangvineis Fratribus, et *Jupanos*, id est: *Comites*, quo titulo Cresimirus Rex Supanos appellare cœpit, et Hungariæ Reges continuavere, et *Sednicos*, id est: *Centuriones* ex Nobilioribus earundem Provinciarum: dederit unicuique Bano, id est Duci, potestatem sub se habere septem Centuriones, qui recte, ac juste Populum judicarent, Tributa acciperent, et Banis præsentarent. Bani posthæc medietatem Regi persol-

solverent, et medietatem sibi tenerent, Comites vero, id est: Jupanos jusserit sub se habere unum Sednicum, qui cum eo similiter judicaret Populum cum Justitia, et duas partes Tributorum Comites, id est: Jupani Regi solverent, tertiam vero suo usui retinerent; Bani dominarentur Jupanis earundem Provinciarum, ac Regionum, et soli Regi rationem redderent. —

Refert porro Presbyter Diocleas eodem Capite XIII. et pag. 483. quod antelatus Rex multas Leges, et bonos mores instituerit, quos agnoscere volens Librum Slavorum, qui *Methodius* dicitur, legat. —

§. 15.

Joannes Lucius in opere suo de Regnô Dalmatiæ, et Croatiæ Lib. 2-di Cap. 2. apud Schvandtnerum pag. 99. et 100. Tomô 3-tio exhibet ex Regestro Privilegiorum Archi-Episcopatus Spalatensis Privilegium Tirpimiri Croatorum Ducis regnante in Italia Lothariô Francorum Rege per Indictionem XV. sub die IV. Nonis Martii, et ex hac Indictione 838. editum — quod juxta *Commune Consilium suis cum omnibus Zupanis*, construxerit *Monasterium* — *recognoscit matrem Sanctam Salonitanam Ecclesiam, quae Metropolis usque ripam Danubii, et pene per totum Regnum Croatiae se extendit, â Duce Mislavo Donis ditatum* — *condonat praefatae Ecclesiae de regali Territorio* Terras intra designatos Terminos, et de

omni nascentia Terræ ex Curte *suâ*, *quae Clusan dicitur*, *Decimas in memoratam Ecciesiam inferri praecipit*, *quas Decimas Antecessor ejusdem Mislavus dare* cœpit. Editum hoc Privilegium est, uti præmissum, Anno Christi 838. Bihachii, in quo plures Zupani, Camerarius, Presbyter Capellanus subscripti leguntur.

Producit Joannes Lucius Libro II. Cap. 8-vo apud Schvandtnerum pag. 123. ex antiquo Regestro Privilegiorum Monachorum S. Chrysogoni Jadrensium Privilegium Cresimiri aliô nomine Petri Croatorum, Dalmatinorumque Regis Anno Dominicæ Incarnationis MLXIX. editum, mediante *quô Monasterio S. Grisogoni*, *quia Deus Omnipotens Mari*, *Terrâque ejusdem* prolongasset Re-

gnum propriam Insulam *in suo Dalmatico Mari sitam*, quæ vocatur Mauni *condonat*. Privilegium subscripsere Stephanus Jaderæ Episcopus, Bolislaus Curialis Comes, Petrus Regalis Curiæ Judex, Suidoz Regalis Pincerna, plures Jupani, Leo Imperialis Protospatarius, ac totius Dalmatiæ Capitaneus.

Privilegii hujus contextu meminit Cresimirus Rex Proavi sui Cresimiri majoris filii ejus Dircislavi, et Banorum eotum Pribinæ, Godemiri, temporum Svetoslavi, et fratrum ejus Cresimiri, et Goyslavi, et filii ejus, Regis Stephani, et tempore hujus Banorum Varda, Borshare, et Stephani Prasca.

Prælaudatus Lucius exhibet Li-

bri II. Cap. XV. apud Schvandtner pag. 155. Tomo III. Privilegium Cresimiri Regis de Anno MLIX. *quô totam Insulam Zuri Monasterio S. Joannis Apostoli, et Evangelistae ita concedit, et donat, ut tale neque Tributum, neque Vectigal Fisco Regali solvat, neque dona saecularia debita Banis, Jupanis, vel reliquis potentiolis praestet.* Emanavit præsentibus Laurentio Archi-Episcopo, Raynerio Croatico Episcopo, et duobus aliis Goyzone Bano, Joanne Eunucho Schytonossa, et fratre suo Post-Jupano, Chruchena Drasen Post-Jupano de Blatta, et pluribus aliis.

Pari ratione exhibet idem Lucius æque Libro II. Cap. XV. apud Schvandtnerum Tomi III. pag. 158. et 159. Privilegium, mediante *quo*

Anno Christi MLXXVIII. Zvinimir, qui et Demetrius Rex totius Croatiae, simulque Dalmatiae cum Gregorio Croatico Episcopo, et Tepcii Dominico, suorumque Comitum, aliorumque Nobilium communi fulcitus consilio Centenam Spalatensi Sedi pendendam corroboravit. Ad notitiam Testium Helenæ Gloriosissimæ Reginæ, Gregorii Croatici Episcopi, Pribine Cetinstici, Adam Nonensis Jupani, Storsine Bribirstici, et aliorum.

§. 16.

Talia Privilegia complura legi possunt apud Lucium, et Farlatum, quibus addidisse suffecerit, quod in confirmationalibus Privilegiis per Reges Hungaros datis aliquot Regum Croatorum Civitatibus Dalmatiæ concessa Privilegia memorentur in spe-

cie *Zvinimiri*, Tragurinæ Civitati concessum, apud Lucium Storia di Dalmatia Libr. II. Cap. I.

Maritimas Dalmatiæ Civitates Jure Episcopos, et Comites suos eligendi gavisas fuisse, tam ex eventibus per Thomam Archi-Diaconum Spalatensem in Historia Salonitanæ Ecclesiæ enarratis apparet, quam et probatur Privilegio Colomanni Regis Tragurinis MCVIII. dato quod Lucius Libri III. Cap. IV. pag. 186. 187. produxit, cujus verba sunt: *Ego Colomannus Rex Ungariae, Croatiae, atque Dalmatiae juro super Sanctam Crucem Vobis Traguriniis meis fidelibus Civibus firmam pacem, mihi, nec filio meo, aut Successoribus meis Thibutarii ne sitis, Episcopum vero, aut Comitem, quem Clerus, et Populus elege-*

rit, ordinabo, et Lege antiquitus constituta vos uti permittam, praeterquam portus introitus Civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero Comes Civitatis, decimam autem Episcopus, in Civitate quoque Vestra neminem Hungarorum, vel Alienigenarum habitare permittam, nisi quem voluntas vestra expetierit, cnm autem ad vos coronandus, aut vobiscum Regni negotia tractaturus advenero, nemini Civium vis inferetur, at si forte aliquando Dominium ejusdem Regis aliquem aggravare videbitur, et alias ire voluerit, secure cum uxore, et filiis, et familia, et omnibus suis quocunque sibi placuerit, eat.—

Hoc Sacramentum a Rege, ab Archi-Episcopo Laurentio, et Comitibus Hungariæ confirmatum esse, ex-

ponitur, signanter a Joanne Palatino Comite Appa, Comite Thoma Albanensi Comite, Jacobo Borsodiensi, Comite Vgudi Vasvariensi, Comite Slavir, Comite Novogradensi.

Privilegium hoc Traguriniis concessum, Libertatum dictum Stephanus Colomanni Regis filius Rex Hungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ anno Dominicæ Incarnationis MCXXIV. Indictione II. mense Julio his verbis confirmavit: *Eandem Libertatem, et pacem a Patre meo vobis Traguriinis, et Spalatinis* Civibus stabilitam *cum Episcopis et Comitibus, et omnibus Regni mei Principibus sub ejusdem Sacramenti obligatione confirmo, et corroboro.* Marcellus Strigoniensis, Gregorius Bacensis Archi-Episcopus, Simon Quinqueecclesiensis

Episcopus, Cledinus Marcus, Lambertus, Buza Nicolaus, Jacobus Sergius Comites, qua præsentes, et confirmantes ad calcem Privilegii hujus exponuntur.—

§. 17.

Lucius, postquam Colomannum tertio in Dalmatia fuisse, imo Curiam quoque Regum Croatorum more celebrasse exposuisset— exhibet Privilegium Arbensi Ecclesiæ MCXI. Indictione IV. concessum, quo mediante confirmat eidem Ecclesiæ Parochias suas — *cum utriusque Regni universo consilio tribuit, ut qua Libertate fruuntur Clerici Hungariae, fruantur et Clerici Dalmatiae, scilicet qualiscunque potentiae Sigillo non constringantur, sed solo Episcoporum, ac Archi-Diaconorum suorum Sigillo Le-*

ge Canonum cogantur, et judicentur: hoc modo decimationem, quemadmodum in Hungaria accipiant, etc. Privilegium hocce in præsentia Archi- et Episcoporum Hungariæ, et Dalmatiæ, quorum nomina recensentur, datum esse exponitur.

Lucius Libri III. Cap. IV. pag. 189. apud Schvandtnerum Lib. III. refert, unicum hoc Colomanni Privilegium Libertatum dictum reperiri, at posteriorum Regum Ungariæ Privilegia huic omnino similia per alias Civitates Dalmatiæ exstantia, cæteris quoque Civitatibus similia a Colomanno concessa arguere.

§. 18.

Quæ omnia non pro historicâ duntaxat notitiâ de Originibus Re-

gnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ, sed eum quoque in finem præmittenda videbantur, ut nulli dubio locus relinquatur — quod Croatæ pluribus Sæculis prius, quam Magyari, per Constantinum Porphyrogenitum Turci compellati, Europæis Populis innotuissent, Gentem liberam suis Legibus, et Consvetudinibus gubernatam, Armorum gloriâ illustrem constituerint — quod stirpe Regum suorum exstinctâ Dalmatia, et Croatia non per Colomannum subjugata, sed per Pacta Conventa Regno Hungariæ adnexa sit — quod Croatæ post excussum Orientalis Imperii, et Francorum jugum, et revindicatas devictis Avaris in Dalmatia avitas Patrum suorum Sedes non se subjecerint Colomanno, et Successoribus ejus, ut nutu, et ar-

bitrio Victoris dictatis Legibus cervices suas subdant, sed ut in quieto, et pacifico eorum, quæ ipsis propria fuerunt, possessorio perseverent — quod solennis de his ita conservandis Sponsio, et Assecuratio Pactis Conventis roborata, sit sacrum illud, et indissolubile vinculum, quo Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ S. Regni Hungariæ Coronæ devincta sunt, et faustô fœdere per decursum Octo Sæculorum eosdem cum Hungaris Dominos, et Reges venerabantur, et venerantur.

§. 19.

Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ post subsecutam prædeclaratô modô cum Regno Hungariæ Conjunctionem non quidem totam sub propriis Ducibus, et Regibus suis

præhabitam Territorialis Dominii extensionem, cujus Limites per Thomam Archi-Diaconum Spalatensem in historiâ Ecclesiæ Salonitanæ Cap. XIII. â ripâ Danubii usque ad Mare Dalmaticum cum totâ Maroniâ, et Chulmiæ Ducatu exponuntur, retinuerunt, integrantibus Partibus iniquitate temporum amissis partim necdum revindicatis, partim necdum S. Coronæ reincorporatis — ast conservarunt intra omnes fortunæ vicissitudines titulum Regnorum epochâ suæ ad Hungariam accessionis longe vetustiorem, conservarunt Privilegia, Jura, Libertates, et complures Consvetudines suas, solennibus multorum Hungariæ Regum Diplomatibus, et positivis Regni Legibus confirmatas; eatenus ad Mathiæ Corvini Decreti II. Art. 13. Constitutionum Re-

gni Slavoniæ 1492. ad Legum Tabulas relatarum Art. 1. et 8. Ulad. Decret. I. Art. 1: 1600. Art. 27: 1649. 33: 1681. 66: 1715. 120: 1723. Art. 3. occasione acceptatæ Sanctionis Pragmaticæ, et delatæ Sexui fœmineo Augustæ regnantis Domus successionis conditum Art. 8: 1741. Conditiones item Diplmaticas ejusdem, et Annorum 1790. 1792. provocare suffecerit.

Prætermissis itaque Juribus, et Libertatibus, quæ Partibus adnexis cum Regno Hungariæ communia sunt, et in avitâ Regni Constitutione, fundamentalibus Regni Legibus, et Inaugurationalibus Regum Diplomatibus commune Palladium habent, et in Augustorum Regum nostrorum summâ Justitiâ, et Pietate semper habitura sunt; — Sermo nobis de

Municipalibus duntaxat Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Juribus, et Statutis futurus est.

§. 20.

Omnes Principes, qui post S. Ladislaum rerum in Hungaria potiebantur, Dalmatiæ, et Croatiæ Regum titulô usos fuisse, Uladislaum Slavoniæ quoque Regis titulum adhibere cœpisse, et usum hunc subsequos Reges continuavisse, Diplomata eorundem Regum, et Legum Tabulæ testantur.

Rex hic mediante Rescripto anni 1496. Universitati Nobilium Regni Slavoniæ Sigillum cum usu rubræ ceræ concessit, sub quo apud Proto-Notarios asservari solito Repræsentationes, Articuli Generalium Regni

gni Congregationum, et quævis Acta erga Requisitoria Mandata ex Regni Archivo expediri consveverunt.

Status et Ordines Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ secundum antiquissimum usum, de quô multa Rescripta per Reges tam ex Augusta Regnante Domo, quam et prioris periodi edita, Constitutiones Regni Slavoniæ 1492. et 1538. Corpori Juris Hungarici insertæ, et Protocolla Regnorum horum luculentum Testimonium perhibent, Municipalia Negotia sua in Generalibus Congregationibus suis pertractant — quod præhabitum Statuum et Ordinum Jus Negotia Municipalia sua in Congregationibus suis pertractandi Articulo 58: 1791. porro quoque eâ tamen cum modificatione con-

firmatum est, ut Congregationes præfatorum Regnorum nonnisi cum prævio Benigno Annutu Regio celebrari possint.

§. 21.

Suprema post Regiam Majestatem in Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ est Banorum Dignitas, cujus origo irrefragabilibus Diplomaticis, et historicis documentis testibus ad prima Gentis incunabula referri debet.

Ut Banus Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ in vetustam, plenam, et legalem Authoritatem, et Jurisdictionem a Mari Adriatico usque ad Dravum fluvium reponatur, ac in hac manuteneatur, multæ Regni Leges eatenus conditæ, et Con-

ditiones diplomaticæ exigunt: signanter 1608: a. c. 11. 1609: 27. 28. 1618: 31. 1635. 32: 1638: 1. §. 8. et 32: 1647. 51: 1649: 8. §. 3. 1659: 1. §. 8. Cond. 7-ma Inaug. Diplom. 1681: 62. — 1687: 22. 1715: 114. 1723: 3. et 87: 1729: 20. 1741: 47. 1790: 24.

Banorum fixâ inter Limites Regni residentiâ ad Altissimi Servitii promotionem, Bonique Publici incrementum haud parum conferente — ut conditus eatenus Articulus 47: 1741. futuris quoque temporibus semper observetur, Articulo 37: 1764. constitutum fuit.

Non sunt quidem omnia Banalis Dignitatis Attributa, quæ eidem fide Historicorum Monumentorum priscis temporibus adnexa fuerunt, sunt ta-

men Dignitatis hujus Jura, et Prærogativæ secundum provocatarum Legum dispositionem nunc quoque amplissimæ.

§. 22.

Banus est Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Judex Ordinarius, eâdem Authoritate Judiciariâ in Mandatorum Judicialium extradatione intra ambitum eorundem Regnorum pollens, quam Judices Regni Ordinarii in Hungaria respectu ejusdem Regni exercent: Mandata Judicialia in Regnis his per Banum, aut Officii Banalis Proto-Notarium in hunc finem Sigillô provisum expediuntur, et secundum dispositionem 38: 1613. quævis sub Bani Sigillô emanatæ Juridicæ Expeditio-

nes pro authenticis, et legitimis habendæ sunt.

Inter Privilegia Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ continetur Privilegium Ludovici I. Hungariæ, Dalmatiæ, et Croatiæ Regis Anno 1359. super eô concessum, quod Incolæ Regni Slavoniæ coram nullô Judice trans fluvium Drava Juri stare teneantur, verum in præsentia Bani, aut ejus vices Gerentis respondere sint obligati, horum vero Judicio non contenti in Curiam Regiam valeant appellare, quod Privilegium per eundem Regem Anno 1377. transumptum, per Sigismundum Regem Anno 1395. confirmatum, et anno 1402. transumptum est.

Reperitur inter eadem Privile-

gia Rescriptum Caroli I. Hungariae Regis de Anno 1325. quô mediante omnes exemptiones â Judicio Banali per diversos procuratæ cassantur, omnesque, et singuli ejusmodi privilegiali exemptione muniti Jurisdictioni Banali subjiciuntur, quod Rescriptum ad Instantiam Mikch Bani totius Slavoniæ Capitulum Chasmense anno 1439. transsumpsit.

Banus qua Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Judex Ordinarius est Octavalis eorundem Fori, quod prius Forum Banale, et Sedes Banalis nuncupabatur, nunc Tabula Banalis audit, legalis Præses: in hac qualitate mediante articulo 87: 1659. ad Octavas in Croatia, et Slavonia celebrandas inviatur — medio 29: 1563. 148: 1647. ut Sententias sub

amissione Officii exequatur. Articulo 27: 1723. ut Tabulæ Banali præsideat, Causasque appellatas revideat.

Articulo 89: 1723. ut, si ipse impediatur, pro Judiciis vicesgerentem, et Locumtenentem nominet.

§. 23.

Banus Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ est Confiniorum Regni Unnanorum, et Colapianorum Supremus Capitaneus.

Jus Supremum Regni Capitaneatum conferendi Statibus et Ordinibus Regnorum eorundem competit — quod prælibatorum Statuum Jus Magna Imperatrix et Regina Maria Theresia mediante Diplomate 1750. editô eâ

spe confirmavit, quod SS. et OO. semper Supremum Capitaneatum Banis collaturi sint. Bani vero Vice-Capitaneatum Confiniariae Militiae denominent; Generalis Partium Unnanarum, et Colapianarum Capitaneatus ab eô tempore Banis dignitatem suam auspicantibus occasione Installationis per SS. et OO. Regnicolariter congregatos semper delatus fuit — Bani in actuali usu Vice-Capitaneos denominandi existunt.

Confinia Banalia antiquitus Banale Banderium constituisse, ex historicis priorum temporum anteactis constat: in hoc intellectu Uladisl. Decr. III. Art. 21. §. 4. dispositum fuit, ut Banus Croatiæ Banderium unum statuere obligetur. Articulo 85: 1659. ut Banus cum Banderio suo

ad regale Banderium militet, ita SS. et OO. Regni Hungariæ, et Partium adnexarum Articulo 28: 1609. Regiæ Majestati supplicuerunt, ut Banum cum plenâ authoritate, et Banderio suo in Dignitatem Banalem quo ocius introduci faciat, ne Regna illa tam in Bellicis, quam Juridicis Capite carentia ulterius detrimentum capere cogantur.

Temporibus, quæ funestum Ludovici II. Regimen antecesserunt, et sub Rege hoc jam unum, jam duos Banos Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ moderatos fuisse, constat. Eotum profecto Suprema omnium Regni Confiniorum Præfectura Banis delata fuit.

Post amissam inferiorem Slavo-

niam, magnam etiam Croatiæ partem â Turcis occupatam Militaris Banorum Præfectura ad Colapiana, et Unnana Confinia, et Copias in casibus generalium, aut particularium Insurrectionum educi solitas. restringi cœpit.

Serenissimô Archi-Duce Carolô sub Imperatore, et Rege Rudolpho Vices Regiæ Majestatis in Slavonia in Bellicis gerente, Articulo 15 : 1578. constitutum fuit, ut ille cum Bano Cointelligentiam habeat, ne quid sequatur inconveniens, et Libertatibus Regni contrarium, Art. 27. 1609. ut ex commendatione Bani Præfecturæ Confiniorum Indigenis, et Legibus Patriæ subjectis conferantur.

Confiniis Banalibus sub Benigno

Augustæ Imperatricis, et Reginæ Mariæ Theresiæ Regimine regulatis: Augusta contextu superius provocati Diplomatis de Anno 1750. Actis Comitialibus 1807. adnexi, authoritatem Bani in eadem Confinia salvam reliquit, ac, ut Banus ex idoneis Patriæ Civibus omnes Officiales inclusive â V.Colonello constituat, — Colonelli vero erga Propositionem Bani per Majestatem Regiam resolvantur — constituit.

Banus, qua duorum Confiniariorum Banalium Regiminum Proprietarius nunc Juribus solum, et Prærogativis illis, quæ reliquis Regiminum Proprietariis de præstabilitô Systemate attributa sunt, gaudet.

Insurrectio Regnorum Dalmatiæ,

Croatiæ, et Slavoniæ ab immediatis Bani Ordinibus in conformitate Art. 66. 1681. per Articulum 5: 1808. confirmati dependet.

§. 24.

Generales Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Congregationes ex edicto, et sub Præsidio Banorum, his absentibus, et impeditis, sub Præsidio Locumtenentum Banalium celebrantur.

Bani adnexum Dignitati Jus habent Vice-Banum denominandi, et Individua pro Officio Proto-Notariali candidandi.

Ad legales Banalis Dignitatis Prærogativas illæ quoque referuntur, quod secundum Andreæ II. Decret.

Articulum 30. et Ulad. Decr. III. Articulum 70. Banus qua unus ex quatuor Regni Baronibus duas Dignitates tenere possit — quod in Generalibus Regni Hungariæ Comitiis post Judicem Curiæ Regiæ juxta dispositionem Articuli 10: 1687. sedeat — quod Bano Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ ad Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum comparenti, pro tenore Art. 58. 1791. competens Dignitati ejusdem Sessio, et Votum assignari debeat.

§. 25.

Slavoniæ, et Croatiæ Regna tempore majoris, aut minoris hostilis impetus juxta Leges, et Consvetudines suas insurgunt. Modum explendæ legalis Obligationis hujus Consti-

tutionum Regni Slavoniæ Tabulis Legum illatarum 1538: Art. 4. 1659. 85: 1681. 66: 1741. 59: 1808: 5. præscribunt; pro exigentia Legum harum, hoste majoribus viribus Slavoniæ Regni Viscera intrante, Castrum vel Fortalitium aliquod obsidente, universi Regnicolæ mox viritim, et cum quintâ parte Rusticorum, vel in majori necessitate cum pleno numero Armati insurgere, et penes Capitaneum juxta Ordines Banorum proficisci tenentur: Insurrectio vero Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ relate quoque ad constituendam exercituationis modalitatem in Generali eorundem Regnorum Congregatione secundum dispositionem provocati Art. 5: 1808. coordinari debet.

Expleverunt conformiter Legum

harum tenoribus, obligationem suam Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Status et Ordines — dum anno 1809. periculi Regnis his imminentis magnitudinem præsagientes Insurrectionem 17 Mill. et aliquot Centurias adæquantem eduxerunt, et anno 1813. Trans-Savanis, et Maritimis Partibus per Tractatus Pacis amissis — pro earum revindicatione Generalem Insurrectionem in Congregatione suâ decreverunt. — Memoriam serorum Nepotum merentur illa Benigni Rescripti anno 1813. 25-ta Augusti per Suam Majestatem Sacratissimam editi verba: *quod Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae nunquam obliteranda Patrum Vestigia secuti in ancipiti publicae rei statu novum, atque perenne inconcussae in Suam Ma-*

jestatem Sacratissimam, Augustamque Domum fidei, et fidelitatis non minus, quam insignis in Patriam amoris, ac in defendendâ avitâ Libertate, et existentiâ zeli dignum, quod sera aemuletur Posteritas, posuerint monumentum.

Dissolutâ Insurrectione Sua Majestas Sacratissima medio Benigni ddto. 23-tiæ Julii 1814. editi Rescripti declarare dignata est, *quod insurrectionalis fatorum Regnorum Militia talia in Martiô Campô fortitudinis, et militaris Disciplinae ediderit specimina, ut a veterano Milite superata non fuerit.*

Ita eædem Dalmatici Maris Oræ, ad quas Patres devictis Avaris, et Orientalis Imperii jugô excussô lau-

rea

rea serta legerunt, post prætervoluta dena Sæcula, Dalmatiâ per solam Confiniariam, et insurrectionalem Croatiæ, et Slavoniæ Militiam ex manibus Gallorum revindicatâ, Virtutis, et fortitudinis Posterorum, Oræ hæ, Savus, et Colapis hæreditatæ ab Antenatis erga legitimos Reges suos fidelitatis Testes fuerunt.

Sic ludit in humanis Divina Potentia rebus!

§. 26.

Regna Croatiæ, et Slavoniæ medietatem Contributionis in Hungariâ â numero Portarum offerri solitæ juxta antiquissimam Consvetudinem plurimis Regni Legibus confirmatam solvere obligantur — et hæc in exsolutionem, et necessitates Confiniorum suorum destinata est.

Articulus 2. Constitutionum Regni Slavoniæ 1492. Corpori Juris insertarum diserte declarat, Consvetudinem præstandæ medietatis Solutionum in Hungaria dum, et quando fieri solitarum semper, et usque ad illa tempora observatam fuisse.

Conformis consvetudini, et provisioni huic est omnium subsequarum Legum usque ad Comitia 1791. conditarum dispositio, quod ex tenoribus Art. 9: 1596. 14: 1608. p. c. 62: 1609. 9: 1613. 36: 1618. 32: 1622. 8: 1625. 1: 1635. 7. 1638. 34: 1647. 4: 1649. 86: 1659. 66: 75: 1681. 115: 1715. 54: 1741. manifeste elucet.

Articulus 59: 1791 disponit, ut superioris Slavoniæ trium, et Regni Croatiæ Comitatuum Contributio sem-

per in Diætâ Regni Hungariæ, separatim tamen â Contributione Regni Hungariæ pertractetur, neque imposterum extra Diætam Regni Hungariæ augeri possit.

Provocarunt ad Leges has Regnorum horum in Comitiis — 1802. Nuncii, et tres superioris Slavoniæ, ac Croatiæ Comitatus contra dispositionem earundem ultra mediam Dicam gravari non posse, eô potissimum motivô sustinuerunt, quod neque Anno 1715. quo primum stabilis Contributio Lege admissa fixam pro intertentione regulatæ Militiæ destinationem Art. 8. Diætæ eodem anno celebratæ accepit — neque annis 1723. 1751. 176¾. in quibus certus pro Regno Hungariæ Portarum numerus constabilitus est, Contributio

per Regnum Croatiæ, et tres superioris Slavoniæ Comitatus dependi solita numerum hunc ingressa fuerit, neque sic dicti Croaticorum Comitatuum fumi cum Portis Hungaricis commixti unquam fuerint.

§. 27.

Quantumvis præmissorum irrefragabilis veritas ex Actis Diætalibus Annorum 1715. 1723. — 1751. 176⁴⁄₅. eô manifestius eluceat — quod Contributio in omnibus his Comitiis per solos Regni Hungariæ Status, et Ordines oblata, et oblatæ Contributionis repartitio in solas Regni Hungariæ Jurisdictiones instituta fuerit. — Contributione eotum superioris Slavoniæ, et trium Croatiæ Comitatuum in Generalibus Regnorum Dalmatiæ,

Croatiæ, et Slavoniæ Congregationibus pertractari solitâ.

Status tamen Regni Hungariæ in Comitiis Anni 1802. testantibus Diarii Diætalis paginis 137. 138. 139. 140. 143. 154. 155. 156. replicuerunt, modernam Militiam Confiniariam â priori longe diversam esse, onere militiæ ad fluvium Colapim ex Contributionibus, et mediæ Tricesimæ Subsidiis per Status Croatiæ prius interteneri solitæ jam cessante: Leges provocatas tam parum ad Regnum Croatiæ applicari posse, quam parum Leges similes ad illud Regni Hungariæ territorium, cujus Incolæ Jurisdictioni Turcicæ olim obnoxii mediam solum Dicam solvere eotum consveverunt; et juxta hæc Status Regni Hungariæ vocem separatim in

Articulo 59: 179$\frac{0}{1}$. non in alio sensu sumi posse allegarunt, quam quod Summa Contributionis, quæ Regno Croatiæ post Portarum Rectificationem, habitâ beneficiorum, et maleficiorum reflexione, instituendam obtigerit, in peculiari Regni ejusdem Congregatione inter ipsius Jurisdictiones repartienda sit. —

§. 28.

Quæstio hæc inter Regnum Hungariæ, et Croatiæ controversa, interimali duntaxat Portarum rectificatione inter Jurisdictiones Hungariæ institutâ, et ex augmentô Contributionis in Comitiis Anni 1802. oblatæ 20,000 fl. Contributioni superioris Slavoniæ, et Croatiæ Comitatuum per aversionem adjectis: in iisdem Comitiis indecisa relicta, in

futuris Comitiis post referendum Regnicolarium Conscriptionum resultatum scopo suscipiendæ Portarum Palatinalium rectificationis deservitu-rum recursura providetur — et reflexe ad gravitatem suam, ac sequelas totam Statuum Croatiæ attentionem, et sollicitudinem merito provocat.

Relate ad quam quæstionem considerationes illæ adhuc occurrunt, in Diætâ Anni 1802. ex parte Regnorum horum partim non propositæ, partim non exhaustæ — quod Contributio per Regnum Hungariae Art. 8. 1715. oblata, fixum et stabilem pro intertentione Legionum Hungaricarum destinatum fundum constituat, — quod Regnum Croatiæ, et superioris Slavoniæ ad erectionem

Legionum Hungaricarum, sed nec ad oblationem Contributionis pro intertentione earundem destinatæ, nec ad solutionem testantibus Diætalibus Annorum 1715. 1741. Actis unquam concurrerit — inferior autem Slavonia, qua anno primum 1745. et respective 1751. reincorporata, concurrere non potuerit — quod in iisdem Comitiis 1715. in quibus Status Hungariae Articulo 8-vo necessitatem regulatæ militiæ pro defensione Regni agnoverunt, et intertentioni ejusdem per oblatam fixam, et stabilem Contributionem providerunt, Articulo 115. constitutum fuerit, ut Subsidium pro Militiâ Confiniariâ per SS. et OO. Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ; et Slavoniæ ex propriis ipsorum Contributionibus jam ab olim solvi consvetum pro tenore Articuli 75: 1681.

per Supremum in iisdem Regnis Exactorem præstetur, et exsolvatur — adeoque cessante licet jam eotum Colapianâ Militiâ, Contributio Croatiæ, et superioris Slavoniæ in iisdem Comitiis præhabitam multis Sæculis destinationem pro necessitatibus Confiniorum ultro retinuerit — quod in Comitiis 1741. in quibus Status et Ordines Regni Hungariæ ex 21,622. Peditibus ad Portas suas repartitis, sex Legiones, Stipendia sua ex fundo Contributionali Regni istius habituras, in Regni defensionem efformandas Art. 63. decreverunt — respectu Slavoniæ, et Croatiæ Art. 54. constitutum fuerit, ut eorundem Regnorum media Tricesima, et ordinariæ Contributionis proventus in Confiniorum, et Militis Confiniarii, aliorumque Publicorum, et Politico-

rum Onerum exsolutionem ultro quoque convertantur — quod Confiniis Banalibus, quæ prius per SS. et OO. Regni Croatiæ administrata fuerunt, regulatis, per Benignum ab Augustâ Imperatrice, et Reginâ Mariâ Theresiâ Anno 1750., ad Status Croatiæ dimissum Rescriptum legalis hæc Contributionis ex tribus Croatiæ, et Slavoniæ Comitatibus provenientis destinatio in suo vigore relicta, et fundo huic emolumenta Confiniaria, et media Tricesima ad mentem superius provocati Articuli addicta fuerint, — quod Partibus inferioris Slavoniæ formalitate in Articulo 18: 1741. declaratâ Jurisdictioni Regni, et Bani juxta Articulum 118. subordinatis, et Comitatibus Syrmiensi, Veröczensi, et Posegano Sessione, et Voto in Diæta per Articulum 23.

1751, salvâ Regni Hungariæ, et Banali Jurisdictione, donatis: ab his, et præexistente Valcoviensi Comitatu notabilis territorii pars avulsa, ac ad Confinia applicita sit, — quod efformatis ex hac tribus Confiniariis Legionibus Gradiscana, Brodensi, et Petrovaradinensi per Commissionem reincorporatoriam ad effectum Art. 18: 1741. in Concursu Bani, et delectorum ex parte Croatiæ Commissariorum operantem Contributio trium inferioris Slavoniæ Comitatuum adjustata, et pro exsolutione et intertentione præfatarum trium Legionum Confiniariarum destinata sit — ac in præmissorum sequelam tam horum, quam et Superiorum Comitatuum Contributio ad Militarem respectivorum Confiniorum Cassam Bellicam ab eo

inde tempore singulis annis in præsens usque administretur.

Quibus stantibus, quemadmodum Status et Ordines Regni Hungariae in Comitiis Anni 1802. Legionis 13-æ Pedestris completationem ex eo, quod neutiquam Hungarica, sed Transylvanica esset, fundate deprecati sunt, eamque ex sua completatione exclusam obtinuerunt — sicut Status et Ordines Croatiæ, et Slavoniæ prætendere non possunt, ut Regnum Hungariæ ad completationem, et solutionem Confiniariarum Croatiæ, et Slavoniae Legionum concurrat; pari ratione Status Regni Hungariae illæsâ Justitiâ exigere non possunt, ut Croatiae et Slavoniae Comitatus ad completationem Legionum Hungaricarum, et Solutionem Contributio-

his pro intertentione earundem Articulo 8-vo 1715. destinatae concurrant.

Quaeque in extraordinariis temporis, et Reipublicae adjunctis ex homagiali devotione in Summos Terrae Principes, et in Patriam pietate praeter, et ultra obligationem per Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae praestita sunt Subsidia, haec pro illis duntaxat casibus, et sub consveta non nectendae exinde ullius pro futuro consequentiae oblata, et data fuerunt, neque ex his recessus a Legibus saeculorum usu roboratis deduci potest.

§. 29.

Ut meritum quaestionis hujus

uberius enucleetur, haud abs re futurum est, differentiam, quae inter Hungariam, et Croatiam, ac Slavoniam in concursu ad legalia defensionis Media intercedit, ulterius illustrare.

Status, et Ordines Regni Hungariae in Comitiis Anni 1764. per Augustam Imperatricem, et Reginam Mariam Theresiam provocati, ut regulationem, et Coordinationem Insurrectionis de praescripto Articuli 8: 1715. debitae ita suscipiant, quô promptus ejusdem eveniente necessitatis casu usus fieri possit — replicuerunt — quod objectum desideratae regulationis hujus tantum personalis Insurrectio constituere possit, fundô, ex quo milites a Portis præteritis temporibus statui soliti pro-

videbantur, in fixam, et stabilem regulatae Militiae dotationem juxta Art. 8: 1715. conversô — numerus autem personalis Insurrectionis in antecessum determinari nequeat, et ad Arcana Regis et Regni pertineat.

Regna Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae juxta veteres Leges, et Consvetudines, signanter Art. 59: 1741. 66: 1681. Art. 5-to 1808. renovatum, insurgunt — et non soli Nobiles, quosve sub nomenclatione hac Lex complectitur, sed pro ratione periculi cum quintâ Colonorum parte, et viritim quoque insurgunt. —

Partem Insurrectionis ex Regnis his educi solitæ Banderia constituunt, quae in Regno Hungariae amplius non existunt. — In tribus superioris

Slavoniæ, et Croatiæ Comitatibus 4000 Domus Prædialistarum, Decimalistarum, et Libertinorum ex Institutione suâ, et juxta Art. 14: 1567. cum Dominis suis insurgere, et exercituare debentium numerantur.

Inter summa beneficia Augustae regnantis Domus, cui Status et Ordines Regni Hunguriæ, et Partium adnexarum perenne gratitudinis pro victricibus armis suis procurata Regni a jugô Turcico elibertatione in Articulis 2: 1687. Præfatione, et Articulo 1. ac 2. 1723. jure optimô debitæ posuerunt monumentum, merito providentia illa refertur — quod â mari adriatico usque Poloniae limites 17. Confiniariae Legiones pro securitate Regni contra pestis, et hostilis invasionis periculum excubent, for-

fortitudine, et virtute bellica nigræ Mathiæ Corvini Legioni pares — numero longe superiores: quæ ex propria populatione in statu completo, ac ad primos ordines mobili conservantur: in harum 17 Legionum numero octo superioris Slavoniæ, et tres inferioris Slavoniæ Legiones censentur. — Hae 11. Slavoniæ, et Croatiae Confiniariae Legiones cum Banderiis, et Insurrectione ex iisdem Regnis secundum veteres Leges, et Consvetudines educi solitâ — dant profecto numericum Nationalis Militiæ statum 64 millibus capitum regulatæ Militiæ, pro cujus stipendiis Contributio Regni Hungariæ dependitur, robore parem!

Jam ex præmissorum combinatione apparet: an Regna Dalmatiæ,

Croatiæ, et Slavoniæ, et in quâ ad 46 Ungariæ Comitatus proportione obligationem vi Pactorum conventorum relate ad communem Regni defensionem iisdem incumbentem expleant? An hâc per octo Sæcula fideliter expletâ, Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ cum fundamento postulare possint, ut tam relate ad Contributionem, quam et reliqua Jura sua Municipalia, et Statuta in statu illo, in quo Patres eorum præfuerunt, relinquantur?

§. 30.

Regna Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniæ habent Jus Statuta cum Benigno Suæ Majestatis Sacratissimæ annutu respectu Municipalium Negotiorum suorum condendi, quae Statuta Regnicolas intra ambitum

eorundem Regnorum degentes perfecte obligant.

Jus hoc, quod 3-tiæ Tit. 2. cuivis Populo, Comitatui, et Universitati Jurisdictionem propriam habenti, tribuit, Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ, quæ longe ante Hungarorum in Europam immigrationem suis Legibus, et Consvetudinibus vixerunt, et vi Pactorum conventorum Partes Regno Hungariae adnexas constituunt, competens citra injuriam in quaestionem vocari non potest.

Jure hoc Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ testantibus quoque Constitutionibus Regni Slavoniæ Annorum 1492. et 1538. Corpori Juris insertis semper usa sunt, *Leges eo-*

rundem dudum approbatas, et Consvetudines, sicut et Transylvaniae à Legibus, et Consvetudinibus Règni Hungariae certis in Terminis, et Articulis discrepare provocatus 3-æ Tit. 2. declarat.

Secundum Titulum hunc Regna Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ contra Generalia Regni Hungariæ, Decreta, et Statuta, contra Judiciarias Deliberationes super facto Bonorum et Jurium possessionariorum in Curiâ Regia, et per Judices Regni Ordinarios pronunciari consvetas constituere nihil possunt.

Leges post editum Opus Tripartitum latae, quibus Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Jura, Privilegia, Statuta, Articuli, et Con-

svetudines approbantur — sensum 3-æ Tit. 2. §. 2. sufficienter explicant, quæstionem ibi de generalibus Regni Hungariæ Decretis, et Statutis Jura, et Negotia Regno Hungariae cum Partibus adnexis communia pro objecto habentibus subversari.

Jus hoc Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Statuta Municipalia cum Benigno regnantis Majestatis annutu condendi Articulo 120: 1715. expresse confirmatum est — quo mediante disponitur:

§. 1. Ut Statuta præfatorum Regnorum Municipalia Regia Authoritate specifice confirmata in nullam amplius de sua validitate veniant quæstionem.

§. 2. Pariformiter per Articulum 66: 1681. generice confirmata itidem pro validis et firmis habeantur.

§. 3. Quæ neutra prædeclaratô modô hactenus firmata fuissent, dispositio tamen eorum adhuc duraret — et pro futuro obligare posset — ea, et talia intra anni unius spatium Suæ Majestati Cæsareo-Regiæ producenda examini, et confirmationi, vel reprobationi Regiæ subjiciantur.

§. 4. *In futurum condenda*, si Jurisdictionem Regiam, aut Justitiae administrationem, vel quaecunque Causarum Processus concernant, ad Regiam pariter deducantur Confirmationem.

§. 31.

Intra ambitum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ soli Romano-Catholici, et post conditum Articulum 27: $179\frac{0}{1}$. Græci quoque non uniti capaces sunt possidendorum, et acquirendorum Bonorum, gerendorum item publicorum, et privatorum Officiorum.

Statuta eatenus in favorem, et conservationem Orthodoxæ Religionis condita per Articulum 23: 1687. — 125: 1715. 1. 3. 86: 1723. erga unanimem Statuum, et Ordinum Regni Hungariæ, et Partium adnexarum Supplicationem per Articulum 46: 1741. 26: $179\frac{0}{1}$. §. 14. confirmata sunt — excipiuntur provocatô §. aliquot in inferiori Slavoniæ Possessiones partim Augustanæ, partim Helveti-

cæ Confessioni addictæ — Commercii denique, et Fabricarum causa liberum manet Evangelicis utriusque Confessionis domicilium, jure locationis, adeoque absque ullâ seu nobilitaris, seu civilis fundi proprietate sumere.

Rationem Statutorum horum, et Legum non in odio erga alium Religionis cultum profitentes, non in Spiritu intolerantiæ principiis Christianitatis contrario, sed in studio conservandæ, et manutenendæ per Religionis unitatem animorum concordiæ, et conjunctionis, et per hanc pacis, et tranquillitatis publicæ quærendam esse — provocati Articuli 25: 1687. et 46: 1741. testantur.

Partibus Regnorum Dalmatiae,

Croatiae, et Slavoniae versus Orientem sitis per Sacerdotes Græcos ad Religionem Christi olim conversis, ac ab eô inde tempore Ritum Orientalis Ecclesiæ sequentibus — relate ad notabilem hanc Populationis partem origine, et Lingvâ eandem, Articulum 26: $179\frac{0}{1}$. condi pacis interfuit, et provida futurorum cura svasit.

§. 32.

Leges ferendi, abrogandi, et interpretandi potestate in Regno Hungariæ, Partibusque adnexis legitime coronato Principi, et Statibus, et Ordinibus Regni ad Comitia legitime confluentibus secundum Articulum 12: $179\frac{0}{1}$. communi, neque extra illâ exerceri queunte — quoties fine hoc per Regiam Majestatem

Generalia Regni Hungariæ, et Partium adnexarum Comitia indicuntur, Status, et Ordines Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ ex Generali Congregatione suâ ad taliter indicta Comitia tres Nuncios, seu Ablegatos Instructione debitâ provisos exmittunt, ex quibus unus locum, et vocem inter Prælatos, Barones, et Magnates secundum dispositionem Articuli 61: 1652. duo in Tabula Statuum ad Latus Tabulae Regiæ — Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ; et Slavoniæ Proto-Notarius ad instar aliorum Proto-Notariorum, Votum et Sessionem habent — Proto-Notario insuper Diarium quoque juxta Articulum 52: 1662. competit. —

Cum usus iste ab eo inde tempore prævigens inter Leges, et Con-

svetudines per Art. 66: 1681. 1: et 3: 1723. et Inaugurationalia Diplomata approbatas referendus sit — neque eadem Partium adnexarum ad Regnum Hungariæ, quæ Jurisdictionum ad idem Regnum spectantium correlatio statui queat — occasione suscipiendæ in futuris Comitiis novæ eorundem coordinationis — prædeclaratum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Jus, ut qua talia tam in Tabulâ Procerum, quam Statuum per suos Nuncios repræsententur, si in quæstionem vocatum fuerit, qua Municipale sustinendum erit. —

§. 33.

Status et Ordines Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Proto-Notarium suum in Generali Congre-

gatione ex Individuis pro hoc Officio per Banum propositis eligunt.

Jure hoc Status et Ordines prælibatorum Regnorum ab antiquissimis inde temporibus gavisos fuisse, testatur Diploma Mathiæ de Talovcz Dalmatiæ, Croatiæ, et totius Slavoniæ Bani de Anno 1429. in Archivo Regnicolari existens — in quo recognoscit, Universitatem Nobilium Regni Slavoniæ semper, et ab antiquo Jure eligendi Proto-Notarios, seu Sigillorum Conservatores usam, recentioribus temporibus Libertate hacce spoliatam: præviam proinde Libertatem eidem denuo restituit, et confirmat.

Probat quoque Privilegium Mathiæ Regis Universitati Nobilium Re-

gni Slavoniæ anno 1465. concessum, et inter reliqua Regni Privilegia contentum — ut Proto-Notarium communibus Votis eligant, electum Bano præsentent — eidem Banale Sigillum sub sigillis eatenus Deputatorum consignetur.

Constans fuit omnium subsequorum temporum usus, quod Proto-Notarii erga Candidationem Banorum liberis Statuum et Ordinum suffragiis electi, et ex ignobili stirpe progeniti secundum dictamen Ulad. Decr. III. Art. 4. pro Officio hoc nec propositi, nec electi fuerint.

§. 34.

Negotia publica intra ambitum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et

Slavoniæ non alia, quam Latina Lingva pertractantur.

Usum Latinæ Lingvæ in Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ vetustissimum, cujus initia ad Romanos plurium Coloniarum in Dalmatia, et in Pannonia Interamnensi Fundatores referri possunt—epochâ certo Dalmatiæ, et Croatiæ ad Coronam Hungaricam accessionis antiquiorem superius citata præexistentium Dalmatiæ, et Croatiæ Regum Diplomata, et alia complura in Lucio, et Farlato legi queuntia remonstrant.

Tota Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Populatio ex Populo idioma Croatico - Slavico - Illyricum loquente, et pauciori numero

Germanis potissimum Urbes inhabitantibus consistit.

Negotia omnia tantorum Sæculorum decursu Latinâ Lingvâ pertractata fuerunt, in hac omnia Acta publica, omnia radicalia Familiarum Documenta, et Privilegia, Leges omnes existunt.

Celeberrimi Hungariæ, et Partium adnexarum Scriptores, et Eruditi, quorum nomina Europæ innotuerunt, Latiâ, et recentioribus temporibus germanicâ Lingva ingeniorum suorum monumenta ediderunt. — His stantibus studium Latinæ Lingvæ fuit, et esse debuit pro omnibus ad Statum seu Ecclesiasticum, seu Civilem, et solidam eruditionem

aspirantibus Institutionis publicae præcipuum objectum. —

Quam gravia se ex præmissis, et aliis, quæ prætereuntur, considerationibus pro conservandâ, et retinendâ ad tantorum Sæculorum exemplum Lingvâ Latinâ respectu ipsius Hungariæ præter Aborigines Slavos Pannonum, et Illyrorum Posteros, ac Hungaros omnium fere Europæarum Nationum Colonias — sinu suo complectentis, offerebant rationum momenta, et pro Partibus adnexis adhuc majora!

Lingvâ interim Hungaricâ intra Regni Hungariæ Limites pro publicis Negotiis adoptatâ, et substitutione ejusdem per complures Regni Hungariæ Jurisdictiones usum Hunga-

garici Idiomatis minus familiarem habentes inde ab anno 1790. procuratâ — hâc autem intra ambitum Partium adnexarum, longe majoribus, ac relate ad modernam, et hanc secuturas plures Generationes insuperabilibus difficultatibus, quarum recensioni ulterius immorari supervacaneum foret, obnoxiâ; Status et Ordines Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Antenatos suos sub conditione adoptandæ pro publicis Negotiis Lingvæ Hungaricæ ad unionem cum Regno Hungariæ haud accessisse memores — adoptatione tamen ejusdem Partibus adnexis repetitim imponi tentatâ — condiderunt in Generali Congregatione sua 28-a Novembris 1805. celebrata Statutum, ut in gremio eorum negotia publica non alia, quam Latina Lingva per-

tractentur, — Statutum hocce secundum inviationem Art. 120: 1715. Suæ Majestati Sacratissimæ pro Benigna Ratificatione substratum, Sua Majestas Sacratissima mediante Benigno 6-ta Februarii 1806. editô Rescriptô clementissime confirmare dignata est, — Status et Ordines in postrema Generali Congregatione 10-a Septembris 1827. celebrata — ex Relatione Dominorum Ablegatorum Diætalium de iis, quæ scopo propagandæ Lingvæ Hungaricæ in postremis Comitiis acta fuerunt, informati, ut Juventus Regnorum horum studio Lingvæ Hungaricæ imbuta pro obeundis penes Dicasteria cum Regno Hungariæ communia Officiis qualificata reddatur, in proximis Comitiis legalem provisionem postulandam decreverunt, ut studium Lingvae Hungaricae intra

ambitum quoque Regnorum horum per condendam novam Legem pro ordinario declaretur — taliterque introducatur — in ordine vero ad Negotiorum publicorum in Regnis his non alia, quam Latina Lingva pertractationem Statuto per Suam Majestatem Sacratissimam Benigne confirmato inhærentes, se ab observamine ejusdem nullatenus recessuros declararunt.

§. 35.

Specialibus Regni Slavoniæ Juribus accenseri adhuc potest, quod Salium Regiorum et Maritimorum pro frugibus commutatio Pauperibus Regni Slavoniæ Incolis propter eorum inopiam, et pecuniarum defectum libera, Art. 5. Constitutionum Regni Slavoniæ 1492. Regno Slavoniæ usus

6*

Maritimorum Salium 29: Art. 1548. et 43: 1635. admittatur. —

Quod Slavoniæ, et Croatiæ Regnorum Filii nativi quoad beneficia Ecclesiastica, et Sæcularia sub denominatione Ungarorum comprehensi Articulo 61: 1741. declarentur.

Quod Status et Ordines Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ motivô variorum tam pacis, quam Bellorum temporibus perpetua et nunquam contaminata fide, fidelitate, et devotione semper et constanter præstitorum Servitiorum, fundamento etiam Benigni Leopoldini Diplomatis extra casum summe urgentis necessitatis a supportandis hybernis Transenis, Condescensionibus item

Militaribus secundum Articulum 48: 1741. immunes sint, et exempti.

His considerationes circa Municipalia Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, et Slavoniæ Jura, et Statuta occurrentes absolvi videntur.—

§. 36.

Præmissorum testimoniô res nostræ in suis incunabilis fortitudine bellicâ ~~fundatæ, creverunt~~ concordiâ; post exstinctam primorum Regum stirpem, hujus Regni, *neque ullius Imperii Corpore, sine Rectore stare, librarique queunte* *) in tali autem Reipublicæ statu *Legum auxiliô inter Potentum certamina invalidô*, per factiones, et discordias collapsæ fuerunt; rursus sub legitimô unius Im-

*) *Taciti Hist. L. I. C. XVI.*

periô restauratæ, sub Regibus habenas Imperii validâ manu regentibus steterunt incolumes — serius adversis fatis communem Patriam longâ annorum serie prementibus, ad arctiores Limites restrictæ, intra horum ambitum Religionis zelô, in Summos Terræ Principes fide, in Patriam Charitate, avitâ Armorum gloriâ intra decumana pericula fuerunt conservatæ — ita Jura, Libertates, et Privilegia Nobis Virtutibus Antenatorum asserta, et transmissa sunt.

Faxint boni Superi, ut eædem sint remotissimorum Nepotum, quæ Patrum fuerunt, Virtutes, his nixæ Nationalis Gloriæ. rectâ Juventutis in futuras Patriæ spes succrescentis educatione, ac institutione prove-

hendæ constans bonorum Civium studium! *Neque enim est ulla res, in quà propius ad Deorum Numen Virtus accedat humana, quam Civitates aut condere novas, aut conservare jam conditas. Cicero de Republicâ Lib. I. Cap. VII.* Exigunt hoc sacra erga Patriam, et pios Antenatorum Manes officia — de quibus Joannes Szakmardius Regnorum Dalmatiæ, Croatiae, et Slavoniæ Proto-Notarius, et Personalis ~~Præsentiæ Regiæ in~~ Judiciis per Hungariam Locumtenens non quidem cum Virgilianæ Latinitatis elegantia, neque forte omni in parte stricte ad regulas Critices, sed relate ad Gentis suæ vetustatem, et gloriam vere, animôque Patriæ devotô cecinit:

Illa ego Slavonia, ac jam dicta Croatia Tellus
Pars quondam Illyrii, Pannoniique Soli;

Post varias exempta vices tandem addita Christo,
Hungariæ junxi me Sociam ipsa Mytræ:

Prima mihi de Rege novo sunt Vota legenda,
Primus in Ungaricâ Nobilitate locus,

Stellamque, animalque insigne gero Gens Martia Martis,
Jus æquale Hunnis, et mihi Taxa minor.

Marti aliquando Crucem junxi pro stemmate binam
Catholicæ solum Relligionis amans,

Sæpe in Cæsareum ruit imperterrite hostem
Noster Eques, verum hinc, quid nisi nomen habet?

Terra Bohema Viris est culta, et dedita nostris,
Sunt fundata meis Polona Regna Viris,

Quæ varia in plures emisi examina Gentes,
Jam Colapi, et Savô vix fruor, atque Dravô.

us

co,

r-

ate

en

is,

yô.